



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

lxxii. De thoracis pituita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Cum ex naribus liquor redditur.

SI ex naribus aqua defertur, raphani seminibus contusis cribratis eius nares illinito. Potes etiam vti aparinæ semine contrito, & tenuissime cribrato, eoque scite palatum accipitris defricato, & facile cognosces mucos exhaustos esse.

De thoracis pituita.

EA grauis quidem affectio, nisi statim succurratur. efficitur ex redundantia humoris. Signum huius est, cum grauiter spirat, vt fit ab exercitatione: ad pectus accipitris humor multus exaggeratur, quæ stertere, recinere, obstrepere faciunt accipitrem. Succurrendum hac ratione: eodie victui colūba, potui aqua mulsa danda est, aut rosacea, quas bibat accipiter, donec omnino reficiatur. Calidā curationē nihil iuuare experientia animaduersum est, ac potius adiuuare frigidam, & crūda comedere tribus frustulis additis plantaginis in mediam carnem immissis.

Aliud remedium.

ASSIDVO strepitu sibilum elidit, stertit, linguam exerit: hac medicina sanus.

fiet, quæ recipit butyrum cum rosa contu-
sum, & exiguum folij Indici contusi & cri-
brati. hæc omnia simul subacta in pellem
soricis conice: deinde scite accipitri pel-
lem ita præparatam da deuorandam. da
etiam columbam, vt ante dictum est, & in
vtrasque nares laurinum oleum instilla,
fac sub dio maneat & restituetur.

*Auxilium aduersus pectoris &
thoracis pituitam.*

SANDARACHÆ vnciam, butyri, medullæ
ceruinæ singulos sextantes, duorum
ouorum albuminis; olei laurini, mellis
quam optimi, singulorum semuncia, mi-
sceantur vna, & in globulos paruulos re-
ducta accipitri deuoranda præbeantur.

De occulta pituita.

HAC laborat accipiter, cum diu in fumo
versatur. Hanc ipsam cognosces, cum
eius palpebræ liuidæ sunt. ex naribus au-
tem destillat lippitudo spumea, vehe-
menterq. stertit: depellitur hoc remedio.
Hyoscyami seminis, piperis scrupuli sin-
guli, laseris scrupuli bini, simul terantur,
melli acapno, misceantur, illisque illina-

H ij